



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

Ab Innocentio VIII. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

 A SIXTO · IIII. CREATI.

IOANNES BAPTISTA Cybo Cardinalis qui postea Innocentius Papa 8. scripsit Epistolas plures, quarum extant aliquæ in Bibliotheca Viennæ, & inter Angeli Politiani Epistolas. Obiit Romæ anno 1492.

HELIAS DE BORDEILLES nobilis Petracoricensis ord. Minorum Theologus, ex Archiepiscopo Turonensi Cardinalis feliciore pietatis quam doctrinæ famâ fuit, scripsitque ut in eius vita refert Petrus de Bois-morin.

De auctoritate Papæ tractatus plures.

De Concordato circa beneficia Galliarum. Et alia. Obiit anno 1484. die quintâ Iulii, Sepultusque est in Cathedrali Turonensi.

IOANNES MOLES à Margaritis, Ciuis & Episcopus Gerundensis Cardinalis, Hispanus, utriusque Iuris; Theologiæ & Cosmographiæ peritissimus, scripsit, ut author est Garimbertus,

Historiam Hispaniarum.

De optimo Principe.

Et alia quedam in humanioribus doctè. Obiit

Anno Christi 1484. ætatis 80. Iacetque Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Populo.

 AB INNOCENTIO VIII. CREATI

IOANNES MEDICES Cardinalis, qui postea Leo Papa 10. Angelum Politianum, Demetrium Calcondylem & Vrbanum Bolzanium, à prima ætate institutores habuit, Picóque Mirandulano, Marsilio Ficino, Christophoro Landino, Ioanne Lascare, & Marullo Tarcha;

niota familiariter vsus est, vnde tantus ei literaturæ politioris amor, vt meritò à Pocciantio inter scriptores Florentinos collocatus sit, non solùm enim elegantissimas Epistolas, quæ ad manus sunt, conscripsit, sed & poeticâ laude clarus habitus est, cum referente Iouio nullo negotio, versus ex tempore funderet: Nec minus ei literæ, quàm Nicolao 5. debent. Vt enim Nicolaus æui sui decus Laurentium Vallam, Iannotium Mannetum, Ioannem Tortelium, Pogium, Georgium Trapezuntium, Petrum Candidum Decembrem & Horatiũ Romanum in famulatio habuit, Philelpho secretarij munus obtulit. In Vaticana Bibliotheca missis vndique viris doctissimis, qui optimos quosque libros perquirerent, tria millia librorum condidit. Nicolao Peroto, Guarino Veronensi, Theodoro Gazæ, Pogio & Vallæ vt plurimos Græcorum libros latinitate donarêt, author fuit. Quinque ducatorum millia Mathæi Evangelium hæbraicâ linguâ conscriptum proferenti pollicitus est: Reique literariæ intermortuæ & extremas horas ducenti in tempore suppetias tulit. Ita & Leo, eiusdem gloriæ æmulus tantoque Pontifici haud absimilis.

Bembum, Sadoletum, Lilius Gregorium Gyraldum, Camillum Quernum Archipoetam, Gregorium Cortesium & Andræam à Lacuna in famulis habuit.

Paulo de Midelburgo, & Ioanne Georgio Trifino in Maximis rebus vsus est.

Ioannem Lascarem in Græciam misit, vt omnibus ibi Bibliothecis excussis Vaticanam replet, cui Philippum Beroaldum iuniorem donec maiores illi pararet honores præfecit, ei-

demque demortuo Zenobium Acciaiuolum suffecit.

Ianum Parrhasium, Augustinum Nyphum, Christophorum Aretinum, Heronimum Butigellam, & Basilium Calcondilem liberales artes, annuo assignato stipendio Romæ profiteri voluit.

Marcum Mulum Archiepiscopatu Epidaurensi; & Manilium Rhallum Episcopatu Cretensi intercalatâ purpurâ decorauit.

Andream Maronem, Ioannem Reuchlinû Capionem opimis sacerdotiis, & Marium Salomonium Aduocati Consistorialis munere ornauit.

Guidonem Posthumum magnis affecit muneribus, maiora si vixisset, daturus.

Antonium Tibaldæum ob vnicum Epigramma quingentis donauit nummis aureis, eique præterea Portorij munus dedit, quod in Ponte Sorgiæ fluminis, diœcesis Auenionensis, peditur Longolio Patauij literis operam danti annum contulit stipendium.

Ioanni Mutio Arelio cuiusdam oppidi regimen concessit.

Xantique Pagnino, vt sacræ scripturæ translationem susciperet inhortator, & consuator fuit, sumptusque tanto opificio necessarios suppetitauit. Et alia multa his non imparia factitauit, quæ longum esset retexere.

Denique (vt est gentile Mediceæ domus bonum) doctos omnes summâ beneuolentiâ & liberalitate affatim pro modulo meritorum & doctrinæ maximè attempe-

rato proluvio prosequutus est, quo nomine plurimi eisdem libri, à Marsilio Ficino, Paulo de Midelburgo, Ioanne Gemisto, Mario Salamonio, Reuchlino Capnione, Ragio Florentino, Zenobio Acciaiuolo, Mathæo Bosso, Arsenico Græco, Petro Alcyonio, Augustino Iustiniano, Petro Martyre Angleria, Syluestro Prierate, Ioanne Echio, Alberto Pighio, Erasmo, aliisque innumeris in scripti sunt, vt aliqualem promeriti vicem rependerent. Obiit Romæ anno Christi 1521. ætatis suæ 47. Pontificatus 8. Ibidemque iacet in Ecclesia S. Mariæ supra Mineruam.

INNOCENTII VIII. TEMPORIBVS
CLARI.

HERMOLAVS BARBARVS Venetus Patriarcha Aquileiënsis, & Cardinalis, vt vult eius æqualis Trithe-
mius, cuius sententiæ Pierius Valerianus & alii non pau-
ci astipulantur, scripsit

De Cælibatu lib. 2.

Cæstigationes Plinianas ad Alexandrum 6.

Contra barbaros Philosophos.

De re vxoria metricè.

Conuenientiam Astronomiæ & Medicinæ.

Præcepta historiæ conscribendæ ad Sabellicum.

Compendium Philosophiæ.

Compendium Galeni.

Epistolas ad diuersos.

Orationes multiplices.

Carminum plusquam duodecim millia.

In Aristotelis Rhetoricam & Dialecticam.

In Dioscoridem. Et alia. Obiit anno Domini

1493. Ætatis 39. Cardinalis designatus,